



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ezechielis Spanhemii Dissertationes De Praestantia Et Usu Numismatum Antiquorum

Spanheim, Ezechiel

Amstelodami, 1671

Augustarum series è nummis illustrata. De Livia seu Julia; Augusta Juliae Augusti filia; Antonia Sacerdote, & sacerdotiis Mulierum; Caii sororibus, Julia Drusilla filia; Agrippina Matre, Mulis iisque ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-12878

ritate ac decreto Senatus hac appellatione ornabantur. Adeo ut aliquot ex iisdem legamus illis ornamentis caruisse dum de moderandis potius, quam ampliandis illarum honoribus, Tiberium, Pertinacem, Claudium etiam, uxorum licet mancipium sollicitos accepimus. Ita AUGUSTÆ appellationem à Senatu delatam, Trajani Conjugem ac Sororem aliquandiu deprecatas docet Plinius in Panegyrico; in quam tamen annuente Cæsare easdem confensisse satis arguunt obvii adhuc illarum Nummi. Hæc enim omnia non aliunde certius hodie aut uberius, quam in residuis Nummorum monumentis legas, quibus pars illa HISTORIÆ AUGUSTÆ unice quasi & luculenter potest illustrari.

Neque refero tamen in hunc censum omnes illas vel Conjuges vel conjunctas priorum Cæsarum, MARTIAS, AURELIAS, COSSUTIAS, SCRIBONIAS, LEPIDAS, ARRICIDIAS, aliasque id genus ab Ænea Vico inter Augustas in serie XII Cæsarum depictas. Has quippe à prioribus curis Andrea Fulvii aliorumque acceptas fatetur ipse se necdum in Nummis reperisse. Neque enim aut Julii Cæsaris nondum firmata dominatio; aut Tiberii cum uxoribus ante principatum divortia; aut Caii in sorores amor; aut Galbæ ac Othonis in principatu cœlibatus; aut Vitellii breve imperium passa sunt Uxoribus vultus nummis consignari. Immo ne LIVIAM quidem, nisi ab excessu Augusti, in Romanis nummis depictam reperies, qui illam mortuo conjuge ex Testamento Augusti, in Familiam JULIAM nomenque AUGUSTÆ adsumptam, sub ejusdem JULIÆ AUGUSTÆ nomine repræsentant. Equidem mutationes nominum apud Romanos ex Testamento fieri solitas cum satis arguunt libri Juris Civilis, tum Dolabellæ apud Tullium exemplum, qui alte-

Tacit. Annal. 1. 8.

Familiam JULIAM nomenque AUGUSTÆ adsumptam, sub ejusdem JULIÆ AUGUSTÆ nomine repræsentant. Equidem mutationes nominum apud Romanos ex Testamento fieri solitas cum satis arguunt libri Juris Civilis, tum Dolabellæ apud Tullium exemplum, qui alte-

alterius cujusdam Liviæ testamento mutari nomen iustus, *Dolabellam video Liviæ testamento cum duobus cohæ-* Lib. VII.
ribus esse intriente, sed juberi mutari nomen. Eadem vero Ep. ad Att.
 Livia ob adoptionem Filia etiam Augusti ad Deos transgressi, ut Velleius tradit, nuncupata, quod firmat etiam ejusdem nummus haud ignotus, DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FILIÆ, & in altera parte DIVUS AUGUSTUS PATER. Quæ nomina cum *Julia Augusta*, tum *Augusti Filie* viris doctis nonnunquam imposuere minus exercitatis in usu nummaria hujus suppellectilis, (ac inter alios eruditissimo Reinesio) qui non Liviam, sed Juliam Augusti filiam iisdem nummis designari omnino crediderit. Et postremæ quidem JULIÆ ignoti hactenus antiquariis nummi, si unum forte excipias Mediceum, in quo hinc facies ejusdem videtur depicta cum inscr. ΘΕΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ, seu *Deam Venerem*, illinc caput Liviæ ac epigraphe ΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, seu *Liviam Junonem*; nempe juxta Prudentium

Adjecere sacrum, feret quo LIVIA JUNO;
 ut Ovidium mittam, cui frequenter eodem *Junonis* nomine designatur, ut

Cum tibi contigerit vultum Junonis adire.

Alias priorem illam Romanam Venerem haud levi cum gaudio spectabam nuper in incomparabili Gemma Regiæ Gallorum Gazæ, quæ Agrippæ caput rostratum, illinc Juliae conjugis, ut facile licet colligere, vultum præferebat. At utramque illam JULIÆ AUGUSTÆ appellationem, Liviæ ex Augusti testamento delatam, & auctor superiori loco Tacitus, & ex Tranquillo ac Dione abunde licet colligere; ut ad priora tempora nummi ejusdem cum his nominibus depicti referri nequaquam possint. Quod miror equidem non observasse

se

se Cl. Tristanum, qui Græcum Nummum Augusti & Juliae, cum ΘΕΙΟΤ & ΘΕΙΑΣ, seu DIVI & DIVÆ nominibus, vivo Augusto percussum existimavit, quod cum illud *Divæ* tum *Juliae* nomen omnino refellit. Unde etiam liquet recensitos in exilio à Nasone Fastorum libros, in quibus utrumque illud cum AUGUSTÆ tum JULIÆ nomen huic Liviae tributum reperias,

Fast. lib. 1. *Utque ego perpetuis olim sacrorum in oris,*

Sic AUGUSTA novum JULIA numen erit.

Nec infelix alioqui Vates hic fuit, quum consecrationem eidem Liviae Augusti exemplo auguratur, quæ tamen multis post annis & Ovidii excessum illi contigit, sub Claudii nempe principatu, ut firmant ejusdem Liviae nummi sub Claudio & Galba percussi, cum inscr. ΘΕΑΣΕΒΑΚΤΗ & ΔΙΒΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ. Neque vero minus incaute adfertur à doctissimo Casaubono ad Suetonium, *de Livia certum & post mariti excessum non Liviam, sed Juliam fuisse vocatam.* Utrumque etiam tum gestasse, patet ex priscis monumentis, in quibus aut LIVIÆ ΑΥΓΟΥΣΤÆ ornatrices vel servæ à cura patellæ, ab argento, à potione describuntur; aut conjuncta etiam JULIÆ LIVIÆ ΑΥΓ. appellatio illi tribuitur. Unum etiam nummum à se inspectum refert Vicus, in quo ΔΙΒΑ ΔΙΒΑ ΔΙΒΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ. sed quem demum circa Alexandri Severi & Gordiani tempora signatum credit. Argenteum præterea hujus Augustæ rarissimum nummum prædicat Savotus, cum inscr. ΔΙΒΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ, in altera autem parte ΔΙΑΝΑ ΔΙΒΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ, de quo nummo fides sit penes eos, qui videre. Alias obvii adhuc aliquot Græcorum nummi cum illa Liviae appellatione, in quibus ΘΕΑΣΑΙΒΥΤΙΑ & ΔΙΟΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ inscribitur, cujus

Thef. Grut.
p. lxxix. 2.

ejus generis apud Cl. Seguinum aliosque vidisse memini. Unde sine ullo temporum discrimine, modo LIVIA vocatur, sicut in superioribus Lapidum Nummorumve monumentis cum Dioni tum Romanis scriptoribus, diu etiam post adsumptum nomen Juliae, ut præter alios Claudiano *Venerabilis Livia*: modo JULIA etiam vivente Augusto, ut Josepho, Velleio aliisque, quod ab iis per *πρόληψιν* factum satis liquet, neque sollicitandos proinde cum magnis viris eorum codices. Restitutos vero à Tito aliquot ejusdem Augustæ nummos rariores aliquoties hic in urbe inspeximus. ANTONIAM etiam Germanici Matrem & Aviam Caii, AUGUSTAM dictam ex Senatusconsulto ac SACERDOTEM DIVI AUGUSTI, non ex Dione solum aut antiquo lapide, sed insuper ex præclaro ejusdem nummo discimus. Qui mire etiam illustrat locum Suetonii, quem præterierunt viri docti; *Post hæc Antonia avia quidquid unquam Livia Augusta honorum cepisset, uno Senatusconsulto congescit*; Livia autem, ut modo innui, dicta Julia & Augusta brevi ab excessu conjugis, lectis scilicet tabulis testamenti, postea eodem consecrato, Sacerdos etiam Divi Augusti à Senatu declarata, ut diferte hæc temporum discrimina observat Dio, sed

Epirhal. ad Honor.

Lib. IIX.
Thef. Grut.
CCXXXVI.9.

Lib. LVI.

cujus locum male sollicitavit & accepit interpres, τότε δὲ ἀθηναιῶντες αὐτὸν καὶ ἰουδαῖος, οἱ καὶ ἱερεῖς, ἱερείαν τε τῆς Λιβίας, Ἰουλίας τε τῆς καὶ Αὐγούστου ἤδη καλεμένην ἀπέδειξαν. Tum vero consecrantes Augustum, sodales illi & sacra & sacerdotem Liviam (que jam ante Juliae & Augusta nomen receperat) decreverunt. Hic planus loci sensus, sicut eum expressimus, nec mutatione illa indiget, νῦν καλεμένην, pro ἤδη καλεμένην, quæ locum perturbat. Vides autem quam lucem utrique cum Suetonio tum Dioni foeneretur hic Nummus, qui congestos Liviae honores

H h h h

diver-

diversis vicibus uno Senatusconsulto Antoniaë tributos exprimit, *Augusta* nempe titulam & *Sacerdotium Divi Augusti*: Ad quod *Livia* Sacerdotium respexit *Ovidius* de Ponto;

- L. IV. EL. 9. *Stant pariter natusque pius conjunxque SACERDOS,*
Numina jam facto non leviora Deo;
 tum *Velleius*, qui eandem *transgressi ad Deos Sacerdotem ac filiam* vocat. *Viduarum* quippe demum aut *Virginum* Sacerdotia apud *Gentiles*, juxta *Tertullianum*, *Sacerdotium viduitatis est & calibatium apud Nationes*, & quod jam ante innuerat, *cum Gentiles Satana suo & virginitatis & viduitatis sacerdotio perferant*. Neque tamen univira eadem *Livia*, quæ prius *Livio Druso*, dein *Augusto* nupserat; quod tamen in *Flaminica* requisitum docet alibi idem *Tertullianus*. At non mirum eandem audire *Divi Filiam ac Sacerdotem*; recepto scilicet ac inde tradito apud Romanos more, ut à conjugibus, liberis & propinquis adsumerentur ejusmodi sacerdotia; Ita *filius Pertinacis Patris Flamen est factus*, juxta *Capitolinum*; & alibi in vita *M. Aurelii*, *Flaminemque ei ex affinibus, & sodales ex amicissimis Aurelianos creaverunt*. Ut propinquius adhuc mittam *Agrippinæ* exemplum, cui mortuo conjuge *Claudio*, *Flaminium Claudiale* decretum à Senatu, auctore *Tacito*. Equidem eo *Livia* ac *Antonia* exemplo videtur mos ille apud Romanos receptus, ut sacerdotia ad feminas transirent, quæ olim ad easdem spectasse negat *L. Valerius* apud *Livium*, *Non Magistratus, nec SACERDOTIA, nec triumphi, nec insignia, nec dona aut spolia bellica his contingere possunt*. Nisi *Vestales* forte excipias, quæ tamen ejusdem sexus *Deæ* erant sacerdotes, qualis vocatur *Quirini mater* apud *Poëtam*, *donec Regina Sacerdos*, aut alias *Sacerdotum uxores*, *Pontificum* puta aut *Flaminum*,

Lib. I. ad Uxorem.

De Exhort. Castit.

In Pertinac.

Annal. XIII. 2.

Lib. XXXII. cap. 7.

num, quas una cum maritis Sacra curasse observat Halicarnassensis, *τοῖς ἐαυτῶν ἀνδράσι συνιερχόμεναι*. Equidem apud Ægyptios nullas extitisse Sacerdotes feminas Deorum Dearumve tradidit olim Herodotus; quæ frequentes tamen erant apud Græcos, & Deorum quidem utriusque sexus, quales *ιερείαις* & *πρὸς Φηλιάδας* apud Bœotios agnoscit Strabo; & ad quæ etiam sacerdotia respexit Claudianus, agens alicubi de honoribus mulierum,

*Inde Sacerdotes, hac intrat pectora Phœbus,
Inde canunt Delphi, Trojanam sola Minervam.*

Lib. 1. in
Eutrop.

Ira facti quoque promiscue apud Romanos ex utroque Sexu Divi Augusti aliorumque Cæsarum consecratorum Sacerdotes, Flamines, seu Flaminæ vel Flaminicæ, quales vocantur in Inscriptione veteri inedita,
F. FLAVIO AUG. LIB. FLAMEN
DIVI TITI ANN. III VIX. AN. LII
M. VIII D. VIII. HOR. VI.
FLAVIA FLAMINA FLAVIAL.
ET JULIA AMISSA LIB. FLAMI
NIA HER. EX TESTAM. P. CUR.
IN FR. PED. XIII IN AGR. P. XVII.

Flaminam hic vides *Flavialem*, seu Liviæ ac Antonia, aut si mavis, Agrippinæ, *Flaminæ Claudialis* exemplo, Gentis Flaviæ Sacerdotem, ac proinde è *collegio Flavianum*, cujus meminit Suetonius, quod una cum Templo Patri ac fratri sacra vit Domitianus. At vero ejusdem Antonia mater & soror Augusti OCTAVIA se quoque nunc conspiciendam præbet recenti beneficio rarissimi nummi, quem novissime Cl. Seguni industria feliciter detexit. Facile enim optima rei antiquariæ promicondo adsentior, ut non aliam quam Octaviam signet expressa mulieris facies cum junctis fratris Augu-

H h h h 2 fti

sti & Mariti Antonii capitibus. Quo refero etiam alium singularem nummum, quem una apud illustrem Matronam Fel. Rondanini inspeximus, qui hinc caput Augusti repræsentat, illinc juncta M. Antonii & Octaviæ capita. Ut vero Aviam Caii Antoniam, ita ejusdem Neptes seu Caii sorores vel prostibula potius, AGRIPPINAM, DRUSILLAM, JULIAM, vulgatus jam antiquariis ejusdem Nummustradit. At alius occurrit nummus Gazæ Farnesianæ, sed quem dubiæ fidei scio apud peritos quosdam antiquarios, cum infer. DIVA DRUSILLA, JULIA DRUSILLA; ex quo pateret, (modo esset genuinus) & consecratam revera à Caio Drusillam, ut ex Dionelict colligere, qui & Pantheam dictam eandem refert, & alteram illam JULIAM de filia potius quam de sorore Caii intelligendam. Clare id videtur ex Suetonio colligi, qui de Caio refert, mortua Drusilla, quam impotenter adeo diligebat, & nata illi filia ex uxore Cæsonia, *Infantem autem JULIAM DRUSILLAM appellatam per omnia Deorum templa circumferens.* Nummus alius Græcus ejusdem Divæ Drusillæ apud Goltzium & Oconem describitur, cum inscript. ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΑ ΛΑ, de quo viderint antiquarii, neque enim eum versare mihi contigit. AGRIPPINAM vero matrem ejusdem Caii & Germanici conjugem, AUGUSTAM ex ejusdem Nummis accepimus, ut liqueat cognomen illud Matri simul & Aviæ Caium detulisse. At rarum quidem hujus Agrippinæ nummum, aureum vidisti opinor in Cimiarchio Etrusci Mæcenatis Leopoldi Cardinalis, qui hinc caput illius Augustæ, illinc filii Caii signatum præferebat. Alium itidem singularem nobis inspectum meministi apud Abbatem Braccium, in præclara congerie Numismatum antiquorum, qui in priori parte Agrip-

Lib. LIX.

Agrippinæ vultum cum inſcript. AGRIPPINA M.F. MAT. C. CÆSARIS AUGUSTI, in altera Porticum cum figura ejuſdem referebat. Obvii hujus Agrippinæ nummi cum Carpento duarum mularum ac inſer. S. P. R. R. MEMORIÆ AGRIPPINÆ, qui facem præferunt Suetonio tradenti Caium deſunctæ Matri *Circenſes carpentumque, quo in pompa traduceretur, decreviſſe.* Qualem honorem Domitillæ Veſpaſiani conjugii, ac Juliæ Titi Filix itidem habitum arguunt earundem Nummi, cum ſimili carpento & inſcriptione. Quo ſpectat etiam ſequens hujus Agrippinæ Nummus.



De more illò, quo in deſunctarum honorem ac memoriam, carpenta per Circum ducebantur, nota quæ obſervarunt jam eruditi. Equidem eximii ſemper honoris loco habitus apud Romanos uſus vehiculi carpentarii, & olim lege Oppia feminis Sacrorum tantum publicorum cauſa conſeſus. Hinc de Agrippina ſuperioris filia Tacitus ut inſolitum notat & Sacerdotibus demum conſeſſum, carpento Capitolium ingredi. Unde liquet neque promiſcuum inter viros fuiſſe ejuſdem vehiculi uſum, ſed cum Sacerdotum antiquitus, tum poſtea Auguſti quodammodo faſtigii aut ſummorum etiam magiſtratum proprium exſtituiſſe. Hinc ſolus aureo inſidens carpento Romam ſolemniter ingreſſus Conſtantius, ut ab Ammiano traditur. Ita Carpentum

H h h 3 vehi,

vehi, inter insignes supremorum Magistratum præ-
 rogativas habitum, velex Cassiodoro colligas, qui de
 Var. lib. vi. Vicario urbis Romæ agens; *Ad similitudinem quippe sum-*
 cap. 15. *morum Carpentio veheris*, & alibi de Consulari, *In aliqui-*
 bus adhuc provinciis ornatus penula, *carpentis etiam subve-*
 In Aure- *llione decoratus. Quomodo & Præfecto urbis judiciale*
 liano. *carpentum* tribuit alicubi Vopiscus. Mulare autem car-
 pentum nemo in superiori Agrippinæ nummo aliisque
 id genus mirabitur, qui novit relatum jam olim Mula-
 rum usum seu cum Mulabus vehicula, inter solita luxus
 & pompæ muliebris instrumenta. Hinc illa Elagaba-
 li Semiamirica Senatusconsulta, *que Carpentio Mularum,*
 Lamprid. in *que Boum, que sella veheretur*; & à L. Vero, juxta Ca-
 Elagab. *pitolinum, data & vehicula cum Mulabus & mulionibus,*
cum juncturis argenteis, quod ibi pro insolito virorum
 luxu refertur. Traductus nempe mos ille ex Oriente,
 ubi frequens ac in pretio habitus Mulorum usus; de
 quo multa non trita tradidit nuper doctissimus Bochar-
 Tom. 11. tus, in præclaro de Animalibus opere. Ira video Chry-
 Hom. vii. *stoffomum mulieres sui temporis eo nomine non se-*
 p. 43. edit. *mel arguentem, quod nisi Mulabus vehantur, nequi-*
 Savil. *dem ad Sacram Synaxim velint accedere; alibi autem,*
 Tom. 11. *ex iis alias à vestibus, alias à domo Mulis, vehiculis,*
 Hom. iv. *velle suspici. Immo ex iisdem Mulis, albos præcipuo*
 pag. 28. *quodam loco habitos observo apud eundem Christiano-*
 rum Tullium, qui muliebrem suæ ætatis luxum ite-
 Tom. v. rum alibi castigans, inter cætera nōtat, *ὅτι οὐκ ἀνδρας οὐκ*
 Hom. *ἐαυτῶν ἐνάγχασαι τὸ γείτον & ὁμοίμικ πολυτελέσθην ἐν ἀγκά-*
 xlvii. pag. *ζῶσαι περιάδου σελήν & ΛΕΥΚΟΥΣ ΗΜΙΩΝΟΥΣ & pro-*
 313. *prios maritos strangulantes, cogunt eosdem vestem sibi compa-*
rare pretiosiore quam non fert ejusdem dignitatis vicina, ac
 Lib. 11. ad *præterea ALBOS MULOS. Tangit eundem mulierum*
 Uxor. *luxum Tertullianus, unde nisi à Diabolo maritum petant*
idoneum

idoneum exhibenda sella & MULABUS & Cinerariis peregrinæ proceritatis, qui & alibi eidem pompæ muliebri adscribit Gallicos Mulos, pro quo vulgo exhibent editi codices Gallicos multos, & de bajulis explicant interpretes. At certe præter superiora loca, priori lectioni suffragantur, quæ de Gallicis Carpentis apud Livium aliosque legimus. Superioris autem Agrippinæ filiam & cognominem AGRIPPINAM Neronis matrem Nummis aliquot antiquis signatam haud ignoras. Singularis inter eos raritatis, quem vulgavit nuper Patinus noster, & qui præter Regium Parisiense, Museum etiam Augustæ Christinæ decorat. Eundem non pigebit hic quoque lectori conspiciendum dare.



Exhibet in priori parte caput Agrippinæ cum papaveribus & inscr. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ, in altera vero Dianam venatricem cum parva Nympha & inscr. ΕΠΙ ΣΕΡΟΤΗΝΙΟΥ ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΤΗΡΑΣ, & in medio, ΑΚΜΟΝΕΩΝ, seu, sub Serotinio Capitone & Julia Severa, Acmonensium. Ac primo illud singulare in hoc nummo, quod non Præsidis solum, sub quo percussus, sed conjugis etiam ejusdem nomina fit complexus. Alterum, Acmoniam hanc urbem fuisse Phrygiæ Pacatianæ, ut liquet ex libris Conciliorum, cujus gentile Ακμονιδες, quod arguit superior nummus, non Ακμονιδες, ut præferunt hodie Stephani Codices; formatum nempe sicut Απιδες, Αλεξανδριδες, aliaque ejusdem flexionis. Alium rursus horum ΑΚΜΟΝΕΩΝ nummum, sub Treboniano Gallo.

Gallo.

Gallo signatum notavi in Museo Cl. Seguini, cum Bacchi Cantharum effundentis effigie. At præter hanc Agrippinam, priorem etiam Claudii conjugem VALERIAM MESSALINAM, & Neronis SABINAM POPPEAM, notas vitæ probro mulieres, tradunt non semel selectiores aliquot Nummi. Priorem vulgarent jam duo nobiles antiquarii Erizzo ac Trifanum, & hic quidem cum inscr. Augustæ VALERIA MESSALINA AUG. At negotium hic Dio facebat, cujus locus merebatur expendi viris doctis & accuratis, qui tradit Claudium ea usum moderatione, ut neque nato illi Britannico *Augusti*, neque hujus matri Messalinæ appellationem AUGUSTÆ dari sit passus. Unde nihil aliud hic restat, nisi ut lapsum Dionem statuamus, quod durius mihi videtur; aut quod magis placet, Claudium in uxoris gratiam, postea à priori proposito recessisse. Id vero cum nec in Cæsaribus aliis insolitum, tum in mutabili & uxorio Claudio minus mirum cuiquam videbitur. Ut hoc etiam addam, rarissimos hujus Messalinæ Romanos nummos, ita male ut plurimum injuria temporis acceptos, ut minus commode erui possit illorum inscriptio, quod & probarunt diligentes Cimeliarchii Medicei custodes, & arguit insuper Erizzo qui mutilam eandem tradit. Eiusdem etiam notæ, quem nuper versabam, nummus Regiæ Gallorum Gazæ, qui hinc Claudii caput, illinc Messalinæ signatum præfert, inscriptione utrinque vetustate exesa. At rem extra dubium ponunt, qui *Augustæ* nomen perspicue illi tribuunt Græci, aliquot Nummi; quales duos vidisse memini, unum in Gaza Regiæ Christianæ, qui in anteriori parte Claudium exhibet, in averfa figuram stantem spei instar columnæ innixam cum flore & inscr. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣ.

Lib. LVI.

alte-



alterum in Collegio Claromontano Parisiensi, qui Messalinam depingit stantem cum duobus liberis & inscri. ΜΕΣΣΑΛΙΝΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Græcum vero P O P P Æ Æ nummum adtulit Trifstanus, sed in cujus explicatione, male mea sententia, litteras H. P. ad Junonem refert, quasi in eo Sabina Poppæa *Augusta Juno* vocaretur. Id vero alienum hoc loco, ubi duæ illæ litteræ H P in medio nummi positæ, juxta consuetum ejusmodi inscriptionum morum, ad urbem Heracleæ aut similem referri debent, à qua nummus ille percussus. Alias rectius Juno dicta fuisset altera Neronis conjunx & adoptione soror OCTAVIA, quam exhibent etiam aliquot Nummi, & de qua Auctor Tragædiæ cognominis,

Generata Divo, Claudie gentis decus,

Sortita fratris more Junonis thoros.

Convenientius autem Poppææ cognomen *Dea Veneris*, cui mortuæ templum à Nerone exstructum refert Dio ^{Pag. 695.} in Excerptis Constantinianus, cum inscri. SABINÆ DEÆ VENERI MATRONÆ FECERUNT. Eiusdem alias Poppææ & Neronis juncta capita habes hic in nummo Græco, sed ita male à tempore juxta & rudi monetario accepto, ut sola ille antiquitatis reverentia tractari & inspicere mereatur.

Iiii

Ad



Ad quem nummum commode, ut vides, referri possunt illa Auctoris Octaviae,

— *jam POPPÆÆ*

Fulget imago juncta NERONI.

Signatus vero ille Ephesi, ut liquet ex insculpta figura Cervi, notissimo in nummis Ephesiorum symbolo. Solenne id etiam Ephesiis eo modo sculptos tradere imperantes conjuges, sicut arguit alius nummus, in quo duo capita Augusti & Liviæ, in averfa autem Cervus, itidem & inscr. ΕΦΕΣΙΩΝ: aut geminus alius cum capitibus Hadriani & Sabinæ, ac litteris ΕΦΕ. Ceterum Poppææ & Neronis juncta capita exhibet alius nummus Regiæ Gazæ Parisiensis, cum inscr. ΝΕΡΩΝ ΚΑΙ ΣΑΡΣΕΒΑΣΤΟΣ ΠΟΠΠΑΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ; & insignis alter argenteus illustrissimi Colberti, cum tribus etiam capitibus junctis, Neronis puta, Poppææ & Agrippinæ. De hac vero Poppæa illud solum præterea

Antiq. Jud.
l. xx. c. 7.

obfero, eam à Josepho ut *θεοσεβῆ* seu *piam* feminam alicubi laudari. Rationem autem, cur ita honorifice appelletur à gravissimo auctore, inde petendam credere, quod ille Romam profectus, ab ea absolutionem Sacerdotum, ac multa in discessu munera sit consequutus, ut ipse narrat in Commentariis de vita sua. Hinc illa à grato & memori animo profecta commendatio. Ut mittam propensorem visum mihi non semel Josephum in memoriam Neronis, ac proinde amatæ illius Conjugis; ut constare potest ex iis, quæ alibi de illo

Cæsa-

Cæfare idem refert. Id vero datum ab eo videtur, cum Neronis beneficiis in Judæos, tum Vespasiani, sub quo scribebat, reverentiæ, qui magnis à Nerone beneficiis adfectus fuerat. At vero sanctam illam & infelicem OCTAVIAM, digniori fato servarunt aliquot Nummi, qualem cum juncto Neronis capite instar Solis & Lunæ vulgavit Trifstanus. Eiusdem notæ nummos videre licet in duobus Urbis Cimeliariis, Regina nempe Christianæ, & laudati sæpius Camilli Maximi, à quo sequens ectypum sumus nacti cum inscr. NERO CLAUD. CÆSAR IMP. ET OCTAVIA AUGUST. in altera autem parte Nero cum sceptro & inscr. NERO CLAUD. IMP. LURINO VOLUMNIO TIVIR.

Antiq. Jud.
l. xx. c. 2.




Ut constet equidem errasse Savotum, qui Octaviæ huius Nummos Græcos dari solum credidit. Postremi generis recondit Gaza Regia Parisiensis, hinc cum Neronis, illinc cum Octaviæ capitibus, & inscr. ΟΚΤΑΟΥΙΑ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Octavia Augusti*, non *Augusta*. At STATTILIAE MESSALINÆ, unius adhuc è Neronis Conjugibus, Græcum etiam Nummum edidit Trifstanus, de quo potest consuli. FLAVIA autem DOMITILLA, Victori liberta, & Uxor Vespasiani, sed eo adhuc privato exstincta, à filiis ejusdem Tito ac Domitiano legitur consecrata. Hinc ejusdem Nummi cum Carpento non solum & inscr. MEMORIAE DOMITILLÆ, verum etiam alter rarior cum DIVÆ epi-

Iiii 2

theto;

theto; cujus generis sequens aureus Gazæ Palatinæ, hinc cum Vespasiani capite radiato & inscr. DIVUS AUGUSTUS VESPASIANUS, illinc Domitillæ caput & epigraphe DIVA DOMITILLA AUGUSTA.



Cui geminus aureus itidem pulcherrimus Regiæ Gazæ Parisiensis, nisi quod in priori parte, dandi casu expressa sit inscriptio, DIVO AVGVSTO VESPASIANO: Ut inde demum, nec aliunde, quod sciam, liquet, AVGVSTÆ quoque nomine eandem à filiis decoratam. Rarus itidem nummus Græcus Lomenianus hujus Domitillæ, qui eidem Musæo Regio novissime accessit, cum capite illius Augustæ, & inscriptione ΦΛΑΟΥΙΑ ΔΟΜΙΤΙΛΛΑ, in averfa autem Serpens Equi dorso impositus, & supra à nobis adlatus. Occurrit vero Domitillæ mentio & Filix ejusdem nominis, in veteri lapide, qui eadem opera hic supplendus est; FLAVIA DOMITILLA FILIA FLAVIÆ DOMITILLÆ IMP. CÆSARIS VESPASIANI NEPTIS. Ita enim legendum ibi nomen illius Augusti, cujus tres tantum posteriores litteræ describuntur. Vespasiani nempe & Flaviæ Domitillæ filia ejusdem nominis Domitilla Suetonio traditur, cujus filia rursus & Vespasiani proinde Neptis in superiori lapide statuenda est. Alias vero VESPASIÆ POLLÆ, Matris ejusdem Vespasiani, aut CÆNIS ejus Concubinæ imaginem in rarioribus aliquot Nummis putat se reperisse Trifstanus. Eundem vero DIVÆ honorem &

Au-

Thef. Grut.
CCXLV. 5.

AUGUSTÆ titulum, JULIÆ TITI Filiaē adscribunt illius Nummi, in quibus vulgo Mulare Carpentum, ut supra innui, & inscr. DIVÆ JULIÆ AUG. DIVI TITI F. Quo respexit Martialis,

Dum voce supplex, dumque thure placabit

Matrona DIVÆ dulce JULIÆ nomen.

Lib. ix.
Ep. i.

Domitiani autem Conjugi DOMITIÆ nomen LONGINÆ præter Suetonium tribuit Nummus Medicus, (qualem descripserant jam olim diligentes antiquarii, & post eos Scaliger in Eusebianis) qui ab una parte Domitianum, ab altera hanc Domitiam refert, & inscr. ΛΟΝΓΕΙΝΑ ΔΟΜΙΤΙΑ ΣΕΒΑΣΤΗ. Neque infrequenter eadem Augusta signata in aliis Græcis Ephesiorum, Magnesiorum, Cadæonorum, Amastrianorum, ac Amphipolitarum nummis, quos versare mihi non semel licuit in illustribus Cimeliarchiis, cum Dianæ Ephesinæ, aut Fluvii jacentis, aut Tripodis aliisve id genus symbolis. Haud ignoti quoque Romani ejusdem Augustæ nummi, vel cum inscr. ob natum ex se & mox consecratum infantem, DIVI CÆSARIS MATRI; aut alias DOMITIA AUGUSTA IMP. DOMITIANI; seu, ut præfert insignis nummus æreus, DOMITIA AUG. IMP. CÆS. DIVI F. DOMITIANI AUG. alius minor itidem obvius DOMITIA DIVI F. DOMITIANI. Scilicet eadem ratione qua hujus liberti, servi, ornatrices, aliquoties numerantur in priscis marmoribus, cum inscriptione DOMITIÆ DOMITIANI. Sequentium vero Augustarum Historiam non minus illustrant antiqui Nummi. Nervam quidem Augustum uxorem habuisse, & filium ex uxore dictum Calpurnium, ex Plinio, Dione, & Victore etiam colligit Trifanus, sed nullo idoneo fundamento. Neque enim verba Plinii de Tra-

In Cimel.
Camil. Maxim.